

obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes (d). Quemadmodum ex adverso, dolorem populi propter Tiberii & Sejani, in audiendis popularibus, moras, & difficultates, exagerat.

27 Quas etiam in Caligula multis verbis notat & reprehendit Philon Judæus (e), qui ad ipsum legatus missus illas expertus fuerat. Et Pausaniæ exitio fuisse, Thucides (f) his verbis commemorat, Aditu difficilem se præbebat, & iracundia aded gravi in omnes pariter utebatur, ut nullus posset accedere. Quamobrem etiam potissimum socii ad Atheniensium partes transierunt. Necnon & Demetrio Phaleræo, ut inquit Plutarchus (g), qui libellos supplices respues, seditionis causam præbuit. Et Hieronymo Siculo Regi, sive Tyranno, de quo ita Livius (h) scriptum reliquit, Contemptus omnium hominum, superbe aures, contumeliosa dicta, aditus non alienis modo, sed tutoribus etiam difficiles.

28 Quapropter D. Nazianzenus (i) valde in Juliano Imper. notavit, quod sæpè ad se accedentes, & alloqui volentes, ita multabat, palam pugno eos feriens, calcibusque impetens, ut præclare secum, actum putarent, quod atrocius aliquid minimè passi essent. Et Synesius (k) Cyrenensis Episcopus aculeatè morem hunc difficultium Admissionum perstringit, quem barbarum, & insolentem appellat, doletque pestem talem summo in prætio & studio habitam, temporum successioni traditam fuisse.

29 Quod etiam novissimè præstat Joannes Filesacus (l), benè quidem subjungens cum Æmilio Probo, Comitatem non sine severitate, neque gravitatem sine facilitate spectandam esse, ut sic hac in re, quod de alia Martialis (m) scripsit, à Principibus observetur,

Illud quod medium est, atque inter utrumque probamus.

Et ita sibi & publici curis, exclusis adeuntium turbis, vacare, & consulere possint, ut eisdem admittendis, & audiendis aliquas horas accommodent, & Admissionalium, sive Ostiarium furias, injuriasque cohibeant, quos acerbè & asperè Joannes Sarisberiensis (n), & Petrus Blesensis (o) insectantur, & Cerbero, qui inferi portas custodire fingitur crudeliores appellant.

30 Qualiter autem se in his Audiendiis, & cum negotiantibus habere Principes in suis responsionibus debeant, aliqua supra in alio (p) Emblemate dixi, & qui velit plura, nostros Joannem Marquez (q), Sanctam-Mariam (r), Pinedam (s), Velazquez (t), & Saavedram legere poterit.

31 Ego hic finio, Claudiani (u) carmina pro coronide addens, in quibus, dum vulgum inducit, nihil non magnum & laudabile de Eutropio, recens ad Patriatum honorem evecto, sibi promittentem, hanc virtutem, de qua loquimur, & alias, quæ in bono Principe concurrere debent, sic mirificè canit,


Nihil est, quod non in pectore magnum
Concipit Eutropius, semper nova, grandia semper.
Diligit, & celeri degustat singula sensu,
Nil timet à tergo: vigilantibus undique curis
Nocte dieque patet: lenis, facilisque moveri
Supplicibus, mediæque tamen, mollissimus ira:
Nil negat, & se se vel non procentibus offert,
Quodlibet ingenio subigit, traditque fruendum,
Quicquid amas dabit illa manus, communiter omni
Fungitur officio, gaudetque potentia flecti:
Hoc quoque consilii peperit, meritoque laborum
Accipit, & trabeas argutæ præmia dextræ,

32 Et contra aliquos, qui queruntur, sibi non omnibus horis Principum aditum, & auditum vacare, videndus est Seneca (x) qui dementissimam eorum indignationem appellat: Cum bonus Princeps numquam sibi vacet, & aliquas horas habere debeat, quas aliis impendat. Quibus tamen servatis, iterum, atque iterum Principes moneo, ut se in adeundo, & audiendo suis faciles præbeant, ut & Basilius Imperator (y) filio consuluit. Addens, Non enim tantum valet pecuniæ copia, ad reficiendum animum dolentem, quantum blanda & lenis oratio Principis. Ea via est, ad conciliandum tibi citra ullos sumptus omnium benevolentiam, qui ex eo te Patrem patriæ potius quam Dominum prædicabunt.

EM.

(d) Idem Annal. 2.
(e) Philon. in legat. ad Cajum.
(f) Thucid. lib. 1. pag. mibi 51.
(g) Plutarc. in Demet.
(h) Livius lib. 24.
(i) Nazianz orat. 4. in Julian.
(k) Synes. in orat. de Regn. ad Arcad.
(l) Joan. Filesac. in lib. de idolol. polit. cap. 3. expag. 33.
(m) Martialis lib. 1. epigr. 58.
(n) Sarisber. lib. 5. Policr. cap. 10.
(o) Blesens. epist. 4.
(p) Supr. Emblem. 27. ad fin.
(q) Marq. lib. 2. cap. 38. pag. 381.
(r) Sanct. Mariam in Polit. Christ. cap. 18. & 19.
(s) Pined. in Salom. pag. 367. & seqq.
(t) Velazq. de opt. Princip.
(u) Claud. in Europ. lib. 2.
(x) Senec. de brev. vit. cap. 2.
(y) Basil. Imper. in Monit. ad filium, cap. 51.

EMBLEMA LXI.
STATERA REGUM.



Ferrea discordes inter stat virga balances,
Judices officio pondus utrumque notans,
Sic mens ipsa Hominis geminas interjacet aures,
Audiat ut causas, judiciumque ferat.
Supremus Judex, culpet ne protinus ullum,
Quin duplici primo consulat aure duos.

COMMENTARIUS.

Uod diximus, Reges, faciles in audiendis subditorum precibus, & querelis, esse debere, non ita accipi volumus, ut in eis etiam credendis faciles sint, vel statim adversus eos, quos malos putant, excandescant, aut cum calamitosis illacrimentur, id enim vel in ordinariis Judicibus, quorum animi motum vultus detegit, meritò reprehendit Callistratus Juris Consultus (a).

Quibus etiam, & quibuslibet hominibus, qui cordati videri volunt, nimia credulitas ita vitio data fuit, ut vel ab Ecclesiastico (b) doceamur, eos qui citò credunt, leves esse corde, ab Ovidio (c), stulti vocentur, & in Adagium, tam apud Juris-Consultos (d), quam apud alios (e) Auctores transierit, Nemini sciendum, nilvè temerè esse credendum. Credulitatem nimiam esse matrem deceptionum, sibi quæ & suæ facilitati imputare debere, qui in aliquo, ob suam credulitatem læsus fuerit. De quo plura dicere possem, nisi jam ferè omnia Tiraquellus (f), & alii (g) plenè congesissent, & pro omnibus sufficere posset, vetus illa Epicharmi

Lz.

(a) Castill. in l. observandum 19. de offic. Præs. Bobad. in Polit. lib. 2. cap. 5.
(b) Eccles. 19.
(c) Ovid. 2. Amor.
(d) L. 1. §. 1. de eo per quem fact. er. ubi gloss. alia jura allegat.
(e) Erasm. in his Adag. pag. 179. & 584.
(f) Tiraq. de retract. convent. §. 4. gloss. 6. n. 7. & de pen. temp. caus. §. 1. ex n. 26.
(g) Sylva nupt. lib. 4. ex n. 55. Aur pach. singul. alleg. cap. 49. Maticz. in dialog. relat. 3. part. cap. 13. num. 8. & 9.

mi cantinela à Cicerone (b) iteratò citata, adeòque laudata, ut in ea nervos, atque artus sapientiae consistere dixerit, *Esto sobrius, & memineris virum qui sic sapiat, non oportere esse credulum.*

3 Ex qua Altiatus (i) præclarum illud Emblema, sub oculatæ manus pictura, deprompsit

*Ne credas, ne (Epicarmus ait) non sobrius esto;
Hi nervi humane membraque mentis erunt:
Ecce oculata manus, credens id quod videt. Ecce
Pulegium, antiquæ sobrietatis olus,
Quo turbam ostenso seda verit Heraclitus,
Mulserit, & tumida seditione gravem.*

4 Unde Ammianus Marcellinus (k) nimiam hanc in credendo facilitatem in Constantino Cæsare damnat, nihil perniciosius esse docens, quàm quòd aures in omne patentes Princeps habeat. Et è contrario Julianum ejus patrualem præclaro elogio, & acroamate laudat, iniquis (l), eum personarum indeclinabilem, justis injustique fuisse distinctorem. Addito & documenti vice exemplo laudabili, quo Cephidio Oratori reum quemdam accusanti, & inter alia dicenti, neminem quemquam nocentem fore, si negare sufficeret, sapienter ex tempore subjicit: *Ecquis tandem innocens erit, si accusare sufficiet?*

5 A quo non multum, abest celebris illa Imp. Honorii, & Theodosii constitutio, quæ sanxit (m), ut quicumque in discrimen capitis accersitur, non statim reus, qui accusari potuit existimetur; ne subjectam innocentiam feriamus. Ubi Glossa illud Boëtii (n) adducit: *Hoc tantum dixerim, ultimam esse adversæ fortunæ sarcinam, quòd dum miseris aliquod crimen instigatur, quæ perferant, meruisse creduntur.*

6 Et non minus congruenter posset adducere, illud, quod de susurronibus, & lingua tertia vitanda, Syracides (o) monuit, dum dixit: *Susurro, & bilinguis, maledictus, multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem, civitates muratas divitum destruxit, & donos Magnatorum effudit. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissolvit.* Quo loco Cornelius à Lapide, & alii, latius hæc damna perpendunt; & susurronem eum esse definiunt, *Qui secretò detrahit alteri, itaque illi amicum offensum reddit, ac ex amicis efficit inimicos.* Qui qualiter fugiendi, & plectendi sint, præsertim ubi Regibus detrahunt, vel eos suis calumniis se ducere tentant, bene in nostris Partitarum legibus (p), & à Castillo de Bobadilla (q) tractatur.

7 Et certè D. Bernardus (r) non facile ausus est definire, quid horum damnabilius sit, detrahere, an detrahentem audire? Lacon autem quidam, apud Erasmum (s), cuida n, qui calumnias in eum ab aliis jactatas, facile audire, & amplecti solebat: *Desine (inquit) adversum me præbere aures, sentiens nimirum, non solum eos vituperio dignos, qui calumniant alios, verumetiam, qui calumniantibus accommodant aures.* Injuriam quippè genus est, adversus nihil malè merentem, audire maledicam linguam: non enim essent maledici, si nullum invenirent auscultatorem.

8 Quod, ut Nos nostris Regibus, ac Principibus suademus, hoc Emblema præfigimus, ex humano Capite sumptum, in quo mentis sedem, inter duas aures, natura collocavit, sic veluti præcipiens, ut hæc nihil credant, vel pendant, quod prius non fuerit mentis statera libratum, sive justo trutinæ pensatum examine, & examussim, quod ajunt, consideratum, ut alibi dixit Virgilius (t):

*Ne quid biat, ne quid protuberet angulus, æquis
Partibus ut coeant, ne quid deliret à mussis.*

9 Quod non parum convenit cum illo Epicteti Philosophi ab Stobæo (u) & Natta (x) relato, qui dicere solebat, nihil in judicante prius esse debere, quàm ut ex æquo omnibus præsit, & sicut vera trutina, neque à bona, & concinna corrigatur, neque per falsam examinatur: sic etiam justus Judex, neque à justis castigetur, neque apud injustos judicetur.

10 Sed & adhuc magis ex Petri Matthæi (y) comparatione desumpsi, qui in suis historiæ Gallicæ narrationibus, postquam propensos in quamdam partem Judicium animos retulit, mox, inquit

(b) Cicer. lib. 2. epist. ad Att. epist. ult. & in lib. de petis. Consul.
(i) Altiat. Emblem. 16. & lib. 4. parerg. cap. 8.
(k) Marcel. lib. 16.
(l) Idem lib. 18.
(m) L. fin. C. de accus.
(n) Boetius de consil. lib. 1. pro. 4. ubi Bernart. pag. 227.
(o) Eccles. 28. 15. & seqq.
(p) L. 2. & 8. tit. 13. part. 2.

(q) Bobad. in polit. lib. 2. cap. 13. num. 61. & lib. 5. cap. 1. n. 75. Riminald. contr. 303. n. 18. lib. 3.
(r) D. Bern. lib. 2. ad Eugen. col. fin.
(s) Erasm. in Apop. lur. cap. 110. relatus à Greg. Lop. dict. leg. 2. gloss. 2.
(t) Virg. sive Auson. in carmin. de viro bono.
(u) Stob. serm. 9.
(x) Nat. in serm. de judic. incorrupt.
(y) Petr. Matth. in addis. ad suas narrat. pag. mibi 69. in Italica translata.

quit, audita altera, in diversam sententiam inclinare cœpisse, ad bilancis modum. Additque, hanc comparisonem illis longè magis probandam, qui sciunt, in lingua Sacra Aurem, & Bilancem, uno eodemque vocabulo exprimi, & significari. Quasi ita designet, Mentem Humanam intra duas aures esse debere, quemadmodum & trutina, sive Libra in medio duarum pelvium, quibus pondera subponuntur, foramen habet, intra quod Bilancis lingua consistit, ad quam est examinatio, aliique æquamentum, alii libramentum, alii æquilibrium vocant,

11 Et translata pro judicio hac de causa usurpari solet, juxta illud Horatii (z).

In Trutina ponetur eadem.

Et Ciceronis (a), Ad ea probanda, quæ non artificis, sed populari quadam trutina examinantur. Et magis ad rem nostram Persii (b), qui illum qui se ad Reip. negotia parat, se in illis expediendis, hac Libra uti debere, sic inquit,

*Hoc putò non justum est, illud malè, rectius istud,
Scis etenim justus gemina suspendere lance
Ancipitis Libræ, rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo, &c.*

12 Unde & in Proverbiis Salomon (c) dixit: *Pondus & pondus; mensura & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.* Et Venerabilis Beda (d): *Qui aliter pauperis, aliter audit causam potentis, statera utique librat iniqua.* Et Innocent. IV. Pont. Maxim. (e) sub eodem stateræ symbolo gravissimè omnes commonet judices, *Ut in causarum processibus, ni il vindicet odium, vel favor usurpet, timor exulet, præmium, aut expectatio præmii, justitiam non evertat; sed stateram gestent in manibus lances appendant æquo libramine, ut in omnibus, quæ in causis agenda fuerint, præ oculis habeant solum Deum, &c.*

13 Quam etiam humanæ mentis, inter duas aures collocationem, non malè expressit Alphonsus Rex noster, sic in una ex suis legibus (f) dicens: *Oír, es el segundo sentido, que ha el Alma sentidora. E este puso Dios señaladamente dentro en las orejas, &c.* Et vetus Adagium, *Ad Aurem referre;* quod ex Agellio, & aliis collegit Erasmus (g), inquit, tunc usurpari, cum de re aliqua aures nostras consulimus.

14 Et Emblematis nostri scopum magis adhuc feriens Alexander Magnus, qui ut Plutarchus, (h) & alii (i) commemorant, cum de Judiciis capitalibus judicaturus esset, manum alteri auri, dum dicere accusator, admove, illamque occludere solitus erat. Interrogatusque, cur id faceret? respondebat, reo ut alteram integram, & intactam à calumniis reservaret.

15 Neque valde ab eadem attentione, quam Reges in his audientiis præstare debent, Philippi, ejusdem Alexandri patris, exemplum abscedit, qui Machetam, ab eo, ad eundem ipsum appellentem, quòd dormitabundus illum damnasset; licet primo iratus accepisset, postea, errore detecto, litis damno privatim rependit, hoc ingenioso commento, sic damnatum à damno eximens, ut Regiam tamen in judicando auctoritatem non proderet, *ut latius refert Plutarchus (k), & Joannes Horoscus (l) Covarruvias,* qui ex hoc quodam Emblema, nostro valde coheres, effinxit; & Petrus Ærodius (m), qui eleganter damna judiciorum, quæ ex sola fiunt auditione, commemorat.

16 Re enim vera, verum est, semperque fuit, & erit, Senecæ (n) Tragici illud,

*Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus est.*

Et quamvis Cicero (o) dicere videatur, concessum olim Romanis Dictatoribus fuisse, ut quem vellent civium indicta causa occidere possent: contrarium tamen veteri duodecim Tabularum lege cavebatur, quæ neminem inauditum, & indemnatum, incognita indictaque causa, occidi jubebat, quam nostra civilia (p) & canonica (q) jura pluribus in locis ita confirmant, ut ne parentibus quidem, quibus jus vitæ & necis in proprios liberos olim datum fuit, eos inaudita causa occidere liceret, juxta communem responsi Juris Consulto Ulpiani (r) interpretationem, de qua Ego (s) alibi pluribus egi.

Zz 2

Eo

(z) Horat. 2. serm. satyr. 3.
(a) Cicer. 1. de orat.
(b) Pers. satyr. 4.
(c) Proverb. 20. 10.
(d) Beda in Proverb. cap. 11.
(e) Innocent. IV. in cap. 1. de sent. & re jud. lib. 6.
(f) L. 2. tit. 13. part. 2.
(g) Erasm. in hoc Adag. pag. 432. ex Alleg. lib. 2. cap. 17.
(h) Plutarch. in vita Alexand.

(i) Anton. in Melissa, part. 2. serm. 53
(k) Plutarc. in Apoph.
(l) Horosc. lib. 2. Emblem. 10. fol. 19.
(m) Ærod. rer. jud. lib. 10. tit. 1. cap. 2. fol. 389.
(n) Senec. in Medea.
(o) Cicer. lib. 1. de legib.
(p) L. 1. D. de rug. reis.
(q) Cap. 1. de ordin. cognit. cum simit.
(r) L. 8. de sicar.
(s) Ego laudè de parric. lib. 2. cap. 8. ex pag. 141.

17 Eoque respexit Tertullianus (t), dum dixit: *Non licere indefensos, & inauditos omnino damnare.* D. Augustinus (u), inquit: *Vos appello leges judicesque Romani, nempe post patrata facinora, nec quemquam scelestum indemnatum voluistis occidi.* Et Salvianus (x) Masiliensis Episcopus: *Interfici indemnatum quemcumque hominem, etiam duodecim Tabularum decreta vetuerunt.*

18 Ipseque idem Cicero, qui Dictatoribus, quam dixi, potestatem concessit, alio in loco Verrem (y) accusans, inter cetera, quæ ei objicit crimina, illud vel primum ponit. Quod honesti, atque ejecti fuerint. Et Q. Curtius (z) de Callistene loquens, nullius eadem majorem Alexandro invidiam excitasse scribit, *Quam quod virum optimis moribus artibusque præditum, non tantum occiderit, sed etiam torserit, in dicta quidem causa.* Idemque de Galba agens Tacitus (a) notat, inquit, sub eo, etiam veros fontes de criminosos reos, eo quod *In auditi, atque indefensi damnati fuerunt, tamquam innocentes periisse.*

19 Et Symmachus (b) eò rem protrahit, ut nihil magis in contumeliam ipsorum judicantium cedere, his elegantissimis verbis ad Theodosium & Archadium Imp. scribat: *Quæso igitur, ne in contumeliam judicii vestri, & juri, & innocentie fraus paretur. Quando enim absentibus, atque ignorantibus inter alios gesta nocuerunt? Quis unquam sententiam nuntius vestri inauditus excepit.*

20 Tertullianus (c) quoque conqueritur, quod soli Christiani inauditi à Romanis damnarentur, & sudit, quod *Qui inauditi damnant, præter invidiam iniquitatis, etiam suspicionem merebuntur alicujus conscientie, nolentes audire, quod auditum damnare non possunt.*

21 Liberius etiam Pontifex Romanus Constantio Imperatori rescripsisse narratur (d), Judicem non posse absente, & inaudito reo scelera ejus punire, aut de crimine pronuntiare, neque enim illud fieri solere, nisi ab iniquo Judice, qui, aut privato odio sæviat, aut domesticis sumultibus ad id impellatur.

22 Sed nullus melius hanc obligationem alterius auris reis delatis servandæ, agnovit, & Regiæ dignitati, de qua nunc agimus, veluti congenitam esse dixit, quam Prudentissimus Rex noster Philippus II. de quo Nicol. Burgundus, qui Belgii historiam nuper scripsit, enarrat (e), quod cum Belgii Proceres instanter ab eo peterent, ut Granvellanum, quem gubernationi illius Provincie præfecerat, ab hoc munere removeret, Rex ad eorum literas hoc modo respondit: *Affectum animi vestri perspicuum habeo; cur tamen res in præsens mutari debeant, non video. Si ex vobis alteruter excurrerit, cuncta ex liquido cognoscam, Regem me esse memini, & inauditi damnare non posse. Quam etiam historiam premens elegantissimus Famianus Strada (f), sic ait Regem Proceribus respondisse: Quod cum certam causam non scripserint, cur amovendus sit à Belgio Granvellanus; nec sibi mos sit, loco movere quemquam Ministrorum indicta causa; propterea gratum sibi futurum, si earum aliquis ad se in Hispaniam iret, & quicquid illud est, coram edoceret. Quod enim majori opus esse remedio ipsi affirmarent, eò minus agitari inter absentes rem tantam oportere.*

23 Prudentissimè quidem, & exempli loco, non solum ejusdem successoribus, verum & omnibus Regibus semper habendum, ut facile Senatores loco non moveant, atque aut alibi Imp. Valentinianus, Theodosius, & Archadius (g) scribunt: *Præcipite persuasione condemnent, quem culpa non ingravit: aut erubescenda varietate judicii pro arbitrio proprio immutandum postea esse censeant, quod jusserint.*

24 Prout nostris temporibus in aliquorum Senatorum suspensione contigisse vidimus, sub eo prætextu, quod cum ejusmodi officia, ut & reliquæ dignitates, à Regibus, tamquam à fonte dimanent, ut in pluribus juribus (h) dicitur, ab eisdem, solo nutu, ac libera voluntate, & absque ulla causæ cognitione, auferri posse videntur, non secus atque famulum sibi invisum, aut minus gratum, è domo sua expellere potest.

25 Quod tamen statim à jure à ratione devium esse cognitum fuit, & Ministris Senatu motis, in ordinem restituitis, tandem ex veriori omnium Juris-Consultorum, & Theologorum sententia, quam Navarrus (i), & alii (k) latè comprobant, intellectum, prædicta officia semel data, perpetua esse, neque magis inauditi, & indemnati illis privari quem posse, quam si ad mortem, vel membri mutilationem damnandus esset, & contra faciens, vel sentientes Principes, in peccatum incidere. Videtur quippe extinctus, & mortuus, qui ab aliqua dignitate; vel officio

(t) Tertul. in Apolog.

(u) Div. August. lib. 1. de Civit. Dei.

(x) Salvian. lib. 8.

(y) Cicero. 2. in Verrem.

(z) Curt. lib. 8.

(a) Tacit. 1. histor. cap. 6.

(b) Symmach. lib. 20. epist. 47.

(c) Tertul. in Apolog. cap. 1. §. 2.

(d) Histor. Tripart. lib. 5. cap. 17.

(e) Nicol. Burg. hist. Belg. lib. 1. pag. 49. & 50.

(f) Strad. in hist. Belg. lib. 3. pag. mibi 155.

(g) L. ultim. C. de modo militat.

(h) L. 2. de origin. jur. l. si constat, de appel. cum multis aliis apud Me in tract. de mun. honor. ex num. 131.

(i) Navarr. post D. Thom. Cajetan. & plures, quos refert in Man. cap. 25. de peccat. Reg. num. 9.

(k) Les. de just. & jur. lib. 2. cap. 29. dub. 11. Afficit post alios, in tit. que sint regal. n. 23. Gregor. per text. ibi in leg. 2. tit. 10. part. 2. l. fin. tit. 3. lib. 3. Recop. Ego latè ubi sup. ex num. 216. Menchac. de success. progress. lib. 3. §. 30. n. 85.

cio cum dedecoret removeretur, ut per quemdam celebrem textum Joannes de Platea (l) benè prosequitur.

26 Et in Consilium Principis semel assumpti, tametsi ad ejus beneplacitum eligantur, honor tamen eis ita delatus finem certi temporis, ac loci non habet, ut Papinianus, & Accursius rectissimè inquit (m), & elegantissimè Cassiodorus (n). Qui de Cingulo loquens, quod horum Magistratum insigne erat: *Mox (inquit) ut datus fuerit, in vite tempus reliquum homini fit coævus, ornatus individuus, cingulum fidele, quod nescit ante deserere, quam de mundo homines contingat exire.* Qua de causa eadem hæc officia lex quædam (o) Codicis Theodosiani, immortalia his verbis appellat: *Quos non adumbratis honoribus, sed in actu positi, sine mortalitate conjungimus.*

27 Neque existimet aliquis, frustra Nos, qui de Regibus agimus, hanc in audiendo, ac judicando æquabilitatem, sive æquilibrium, quod nostrum Emblema ostendit, desiderare, cum hoc munus per alios Ministros, ac Magistratus, quos ad id dispositos habent, exequi solet. Nam etsi hoc verum sit, & rerum agendarum negotiorumque multitudo, auxiliares has exigat manus, ut supra (p) retulimus, unde Bodinus (q), & alii Politici (r), Majestati Principum parum decorum, & conveniens esse arbitrantur, judicem agere, & cum subditis colloquia serere, hoc tamen non impedit, ut docti quique ex eisdem Politicis tradunt, qui aliquando judicandi quoque per se ipsos partes assumant, vel quæ à suis fuerint Senatoribus judicata, matura inquisitione revideant, & ad sui judicii trutinam revocent, sciantque in hoc principum Regum munus, atque officium versari debere, cum vel id ipsum eorum creatorum finis extiterit, ut præclare monuit Hesiodus (s) inquit:

*Hac una Reges sunt olim sine creati,
Dicere jus populis injustaque tollere facta.*

Et Cicero (t) dum similiter ait: *Fruende justitie causa, olim benè moratos Reges constitutos; quod & apud Romanos lege Regia sancitum constat, quæ his apud Lipsium (u) verbis concepta reperitur, Rex Sacrorum Præset Legum custos esto, Judicia exercete, belli Imperium habeto.*

28 A quibus eandem doctrinam suxit Hieron. Ossorius, Ciceronis diligens imitator, illamque his verbis exposuit, & magis præcisam effecit: *In studium justitie omnes Regis cura, & cogitatione, omnes labores, atque vigiliæ, omnia denique studia consumenda sunt, ea namque à principio Reges creavit.*

29 Unde Socrates, ab Albano Spinato (x) laudatus, juris artem legalemque peritiã meritò Regiam disciplinam nominabat, quoniam nullum tam Rege dignum sit officium, quam justitiæ, jurisque dicendi munere fungi, & Homerus (y) Minoem, quamvis Regem, ejusdem artis eximium discipulum, suorumque populorum assiduum, & acerrimum judicem facit. Israëlitzque in Sacra Pagina (z) Regem à Deo petiisse, atque impetrasse leguntur, qui eos judicaret, sicut universæ aliæ nationes habebant.

30 Quod Davidem, Jovum, & alios in portis urbis judicantes, & civium jurgia discernentes, opere compleverunt, ut Salomonem omittam, qui puer adhuc, idem munus ita feliciter exercuit in incipiti illa duarum meretricum causa, quæ de filio invicem contendebant, ut Sacer Textus (a) scribat, exinde à populo plurimi habitum fuisse. Alibi (b) tradens, ex ejusdem Salomonis sententia, quod *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.*

31 Quod non latuit Romanos Imperatores, cum de Augusto Suetonius (c) tradat: *Jus dixit assidue, & in noctem nonnunquam, etsi parum corpore valeret.* Et de Tiberio Tacitus (d): *Nec Patrum cognitionibus satius, judicii adsidebat in cornu Tribunalis.* Et de Vespasiano legamus, (e) quod etiam extremum agens spiritum, muneribus tamen Imperatoris fungebatur, ut etiam temporis legationes, & causas audiret, dictitans, oportere Imperatorem stantem mori. Frequensque in jure civili aliorum Imperatorum sit mentio, qui eisdem Judiciis, & Tribunalibus assidebant, & non solum inter æquitatem, & jus scriptum exortas dubitationes (f) justis decretis temperabant, verum & judicialiter de litibus cognoscentes, easdem definiebant, & terminabant (g).

Ex.

(l) Plat. per text. ibi in leg. 1. C. de primic.

(m) L. Jur. Pericos, ubi glos. D. de excus. 100.

(n) Cassiodor. lib. 6. epist. 2.

(o) L. in officis 6. C. de honor. C. in Theod.

(p) Sup. Emblem. 54.

(q) Bodin. lib. 4. de Rep. cap. 6. §. 703.

(r) Velazq. de optim. Princ. lib. 3. a. n. 7. & 8. Saaved.

Emp. 57. ex pag. 420. Locenus ad Curtium pag. 172. Bobad.

in Polit. lib. 3. cap. 14. n. 3. & seqq. ubi plura exempla commemorat. & lib. 1. cap. 6. n. 16. in fin. & cap. 9. n. 4.

(s) Hesiod. in Theog.

(t) Cicero. 2. offic.

(u) Lips. de legib. Regiis, leg. 4.

(x) Spinat. in polit. lib. 2. cap. 2. fol. 42.

(y) Homer. in Iliad.

(z) Reg. 2. cap. 8. §.

(a) 3. Reg. 3. 28.

(b) Prov. erb. 20. 8.

(c) Suet. in Aug. cap. 33.

(d) Tacit. lib. 1. Annal. cap. 75.

(e) Suet. in Vesp. cap. 24.

(f) L. quoties, de reg. jur. leg. 1. C. de legib.

(g) L. de const. Princ. l. fin. C. de leg. §. sed quod Princ. Inst. de jur. natur. gent. & civis.

32 Extorque nobile testimonium Marcelli (h) Juris-Consulto in quo memorat, qualiter in ardua causa Antoninus Cæsar cum Judicibus interfuerit, cum Advocatis disputaverit, & tandem partibus auditis, remotis omnibus deliberasse, admittique rursus eisdem jussis, sic pronuntiasse: *Causa præsens videtur benigniorem interpretationem, ut ea duntaxat existimemus Nepotem irrita esse voluisse, quæ induxit, &c.* Et Herodianus (i) tradit, Mammeam, filio suo Imperatori Alexandro Severo assidue consulere solitam, ut judicii interesset, & omnibus Imperii curis animam applicaret.

33 De aliarum quoque Nationum Regibus, & qualiter ad eos à Judicibus inferioribus appellaretur, plura Herodotus (k), & Athenæus (l) scribunt. Inter quos Bochyris, sive Bocchores apud Ægyptios, aded notæ, & incorrupte in judicandis litibus justitiæ fuit, ut vulgò, si quem magnopere justum, & integrum significaret vellent, Bochyrim appellarent, & ex hoc in Adagium transierit, de quo ex Suida mentionem faciens Erasmus (m) addit, *Dici posse, & de iis, qui non temere de re quæpiam pronuntiant.* Negant enim hunc Regem solere sententiam ferre, nisi de causa jam comperta, & certis argumentis deprehensa.

34 Apud Athenienses quoque moris fuisse, Regem in Areopago cum reliquis Judicibus considerare, ex Julio Polluce (n) cognoscimus, qui, quod plus est, addit, tunc coronam Regiam deponere solitum, ut si ostenderet, se in ejusmodi Judicis ceteris æqualem præstare velle.

35 De Ludovico quoque Pio Francorum Rege Aimoinus in ejus gestis enarrat (o), in tantum huic studio incubuisse, ut quolibet proficiscente, vel in Palatio residente, vix aliquis reperiretur se, conquerens aliquid injustè perpessum. Tribus enim diebus Rex per singulas hebdomadas rei judiciariæ intererat.

36 Neque ab hoc munere nostræ Hispaniæ Reges alieni fuisse videntur, ut passim ex eorum historiis (p) colligitur, & ex nominatione eorum qui *Castelle judices* dicti fuerunt, quoniam Ordonius & Fruela Reges in justitia administranda se valdè desides ostenderunt. Et de Rege Ferdinando, qui *Sancti* cognomen promeruit, vetus ejus Chronica, & eleganter Mariana (q) commemorat, litibus interfuisse, pauperibusque adversus potentiorum injurias sedulam operam exhibuisse. Rexque Alphonsus Sapiens (r) hanc obligationem sibi & suis posteris pro lege reliquit, maximè ubi de viduarum & orphanorum querelis disceptaretur, sic inquit: *Porque maguer el Rei es tenido de guardar à todos los de su tierra, señaladamente lo debe hacer à estos, porque son asi como desamparados, è mas sin consejo que los otros.*

37 Cui legi similem aliam Constantinus Imperator (s) ediderat, & in hoc præcipuum Regum officium consistere, alia jura decernunt. Sed nulla ullibi melius, & expressius, quàm lex D. Regis Alphonsi XI. ad suarum Curiarum petitiones emissa, quæ hodie in nova legum collectione (t) sub his verbis, relatu quidem dignissimis, circumfertur: *Liberal se debe mostrar el Rei en oír peticiones, i querellas à todos los que à su Corte viniere à pedir justicia, porque el Rei, segun la significacion del nombre, se dice Regente, ò Regidor, i su proprio oficio es hacer juicio, i justicia; porque de la Celestial Magestad recibe el poderio temporal. Porende ordenamos de nos assentar à juicio en publico dos dias en la semana con los del nuestro Consejo, i con los Alcaldes de nuestra Corte. I estos dos dias sean Lunes i Viernes; el Lunes à oír peticiones, i querellas de los Oficiales de nuestra Casa, i otros. I quando este dia no nos pudieremos assentar por algun embargo que acaezca, assentarnos hemos otro dia de la semana en emienda de este: i los Viernes à oír los presos, segun que antiguamente està ordenado por los Reyes nuestros predecesores. Quam legem ex eisdem rationibus Reges Catholici Ferdinandus & Elisabeta in diebus Veneris (u) renovarunt, & exactè observarunt, indeque in hanc usque diem Reges eo die, Senatui Regio, ad suum Palatium venire jussu, humanissimè intersunt, ibique quicquid arduum, & Regia cognitione, & deliberatione dignum videtur, enarratur, & consultatur. Ac præterea nullis non diebus plures alias omnium Consiliorum consultationes expediunt, & se Audiendi publicis omnibus alloqui volentibus frequenter exponunt.*

39 In quo cum semper alii attentissimi fuerint, Rex tamen ac Dominus noster D. Philippus IV. quem Deus per plures annos incolumentem servet, suis Majoribus antecellit, ut oculata experientia conspicimus, & jam in literas Virgilius Malvezzius (x) his retulit verbis: *Mirando pues à este benignissimo Rei, le hallè en el gobierno prudente, atento, incansable, pues despacha mas en*

(h) Marc. in l. proximè, D. de his que in test. debent.

(i) Herodian. lib. 6. in princip.

(k) Herod. lib. 2.

(l) Ath. lib. 12. cap. 4.

(m) Suid. & Erasm. in hoc Adag. pag. mihi 434.

(n) Jul. Pollux lib. 1. Onomast.

(o) Aimoin. de gest. Francor. lib. 5. cap. 8.

(p) Mariana, & alii ap. Saavedr. Empr. 21. pag. 135.

(q) Mariana, omnino legendus, de Reb. Hisp. lib. 13. cap. 1.

(r) L. 20. tit. 23. part. 3. cujus meminit Saavedra Empr. 57. pag. 420. concord. l. 41. tit. 14. part. 3.

(s) Constant. Imper. in l. unic. C. quando Imper. vide

Covarr. 6. § 7. præf. & text. in cap. Regum officium 23.

quest. 5. § cap. ab Imperatoribus, ead. caus. q. 3.

(t) L. 1. tit. 2. lib. 2. Recop. que antea erat l. 1. tit. 1.

Ord.

(u) L. 3. dif. tit. 2. lib. 2. Recopil.

(x) Virg. Malvezz. in Libra in Epist. Proemial.

en un dia, que el mas cuidadoso de sus Mayores en una semana. Ut sic de eo illud Seneca (y) dicere justè possimus, *Princeps felix abundè sibi visus, si fortunam suam publicaverit, sermone affabilis, accessaque facilis, vultu, qui maximè populos demeretur, amabilis.* Necnon quod de suo Theodosio Pacatus (z) *At noster hic, omnibus spectandus offertur, nec magis conjunxerit hunc diem, atque Solem, quàm nostrum Imperatorem videre licet.*

40 Ac planè, etsi de aliis Judicibus nostræ trutinæ perpensionem sperare possimus, adhuc tamen de Regum judicis plus longè sperare debemus, quibus Deus, ubi hoc munus exercent, præsentissimum auxilium promissit, dum dixit (a) *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Per me Principes imperant, & Potentes decernunt justitiam. Ego sapientia habito in consilio, & eruditus intersum cogitati onibus. Rex qui sedet in solio dissipat omne malum intuitu suo. Divinatio in labiis Regum, in judicio non errabit os ejus.* Quibus locis alia doctissimè adjicit P. Joann. Anton. Velazquez (b), præsertim illud Isaia (c), apud quem Deus primum Principem, quem populo suo constituitur destinabat, sic instruxisse, & adornasse, narratur: *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus Consilii, & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ, & Pietatis.*

41 Unde ultra supra adductum Salomonis adhuc pueri cælitus veluti derivatum judicium, alia similia exempla (d) passim nobis historiæ suppeditant, quibus planum redditur, Deum, Regum judicantium mentes divinæ suæ sapientiæ radiis illustrare solere. Quale est illud, Salomonis simile, quod de Rege illo Thraciæ Ariofarne Diodorus Siculus narrat (e), apud quem, cum duo filii de hæreditate patris litigarent, quorum unus ex adulterio natus ferebatur, neque quis eorum hic esset, certis argumentis constare posset, exhumari patris cadaver jussit, seque ei hæreditatem additurum, qui proximè ad cor mortui, in scopum positi, sagittam infigeret, quam conditionem adulterinus avidè acceptavit, naturalis verò & legitimus, ita factum exhortuit, ut oculos averteret, seque magis hæreditate carere velle dixerit, quàm tam immane facinus perpetrare, unde se illa dignum ostendit. Judicatum est enim, ut in alio simili casu Valer. Maximus (f) (inquit) rerum naturam non recipere, ut verus filius, etiam mortuo patri, vulnus posset infligere.

42 Extat & memorandum aliud judicium Philippi Pulchri Francorum Regis, apud Cæsarium Heisterbachensem, & Eusebium (g) Noriemburgensem, quo, cujusdam Præpositi, qui vineam viduæ per dolum ademerat, testesque falsos ad venditionem probandam, induxerat, fraudem detexit, & revocata suorum Scabinorum in Præpositi favorem sententia, illum merita morte multavit. Et aliud memoria dignum Galbæ, & Imperatoris Rodolphi Austrii, apud Justum Lipsium, (h) Danielis quoque exemplum pro multis sufficere, quem Deus, quia publicis negotiis exponere volebat, ea luce spirituum donavit, ut arduam illam Susanæ (i), & seniorum causam aperire, & terminaret valeret. Mihi que in corde, & in votis est, si Deus annuerit, de his, & similibus prope divinis Regum judicis, integrum tractatum conficere, interim hæc tetigisse juvabit.



(y) Senec. lib. 1. de Clem. cap. 13.

(z) Pacat. in Paneg. ad Theodos.

(a) Proverb. 8. 13. 15. 16. & 20. 8. & 16. 10.

(b) Velazq. de Opt. Princ. lib. 3. annot. 8. ex pag. 315.

(c) Isai. 11. 3.

(d) Vide aliqua exempla apud Vitianum in notis ad Com-

mentum, 1. tom. pag.

(e) Diod. Sicul. lib. 40.

(f) Valer. lib. 8. cap. 1. §. 13.

(g) Euseb. ex Cesar. in Stromat. lib. 5. cap. 24. pag. 137.

(h) Lips. in Monit. polit. lib. 2. cap. 11. mon. 3.

(i) Daniel. 13. 45.

EMBLEMA LXII
REGIS PRÆSENTIA VELOX.



Sunt alæ? Sunt. Quodnam munus? Nuntius adsum.
Divorum: feror hinc inde, manere vetor.
Regibus impendo pennas, ut Regna revisant,
Non si penna illis, pœna erit ulla suis.

COMMENTARIUS.

Vidimus quanta qualiaque bona ex gratis, & assiduis Regum in subditos sibi populos Audientis proficiscantur, & quàm sit earum præbendarum obligatio Regio muneris juncta. Sed hæc tamen non usquequaque sufficit, aut efficit, quin ipsi etiam iidem, ubi commodè possint, emergentiumque, & occurrentium negotiorum nexus permisserit, per sui Regni Provincias ultro divagentur, propriis oculis illas lustrent, & illustrent, Majestatis suæ radiis foveant simul & faveant, omniaque, quæ ad meliorem ipsarum statum conducere censuerint, præsentem, ac prudentem inspectionem, & interventionem disponant.

2 Tam enim scitum, quàm certum est illud Horatii (a),

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Et Plauti (b), *Qui audiunt, audita dicunt, qui vident, plane sciunt.* Unde Thales Milesius olim interrogatus, quantum à mendacio distaret veritas? Quantum, inquit, oculi ab auribus, sentiens, ea demum esse indubitata fidei, quæ hominum oculis contuentur, non quæ auribus percipiuntur.

3 Et Ephorus quidam apud Polybium (c), solitus dicere fertur, si possibile fuisset, rebus ipsis omnibus adesse, eam experientiam reliquis præstantiorem longè futuram. Sic indicans, certiora esse, visa sunt, quàm quæ auribus ab aliis percepta. Cum enim duo homini juxta naturam sint velut organa quædam, quibus omnia percipit, & scrutatur, auditus scilicet, & visus, certior tamen hic est, & propius ad inquisitionem rerum accedit. Idedque apud Tacitum (d) Gallus dicere ausus fuit: *Nihil satis illustre, aut ex dignitate Populi Romani, nisi coram, & sub oculis Cæsaris: eoque conventum Italiae, & ad fluentis provincias, præsentia ejus servanda.*

4 Quod munus, hæc de causa, valdè utile, & necessarium omnibus Regibus, & Principibus esse,

(a) Horat. in Arte Poet.

(b) Thal. apud Erasmod. lib. Apophth. 8.

(c) Polyb. lib. 22. Lycosth. in Apoph. verb. Visus.

(d) Tacit. 27. Ann. cap. 35.

esse, variis argumentis, & testimoniis Politici omnes (e) evincunt, reque ad utramque partem graviter disputata, tandem in affirmativam eloquens noster Fr. Joannes Marquez (f) inclinat, sub ea tamen cautione, ne inde graves sumptus & expensæ populis generentur. Idemque novissimè sentit D. Didac. Saavedra Fajardus (g) & sub symbolo Solis declarat, cum lemmate, *Rebus adest*, hoc fulgentissimum sydus Principibus imitandum proponens, quod irrequietum semper, ut alibi (h) cum Seneca, & Lipsio diximus, cursus suos explicat, & juxta illud Virgilii (i),

Terrarum flammis opera omnia lustrat.

Et non lucet modo, sed fovet, vegetat, atque animat.

5 Qua comparatione usus etiam videtur Plinius Junior (k), dum suum Trajanum commendat, quod *Velocissimæ syderis more, omnia inviseret, omnia audiret.* Ipsamque latius extendit Petrus Matthæus (l), & pluribus ornant eruditissimi Patres Joannes Antonius Velazquez (m), & Joannes Pinceda (n), & ante eos Ægidius Romanus qui addit, nonnumquam etiam sapientem Regem Regiam Majestatem pannosis vestibus oculere debere, sicut & Sol lucem suam nubibus occulit, atque inter vulgus se se miscere, ut transgressores liberius agentes deprehendat, ac de sui apud vulgares hominis fama, & existimatione edoceat.

6 Nos verò, ut vides, præsentem hoc Emblemate eandem doctrinam, ex caduceata petsataque, & simul alata Mercurii Leone desumimus. Quem, quia propter eloquentiam, suadæque medullam, Deorum Nuntium, atque Interpretem veteres, (ut latius alibi (o)) confingebant, alas ejus talaribus, & capiti petasum, etiam alatum, subposuerunt, sic indicare volentes, eum, qui Deorum legatus existit, (quo etiam nomine omnes qui alios regere, & dirigere debent, ut Apostolus docet (p)) significatur) semper in prociectu, ac veluti in itinere esse debere, ut ubi opus sua præsentia fuerit, non solum ocyus occurrant, sed & velocius, quasi volantes, accelerent. Qua de causa Mercurius, quasi *Mediuscurrrens*, sive *Medicurrus* Arnobio (q) appellatur, & Alati, Alipedis, ac Pinulati apud Poëtæ, & graves alios Auctores (r), quos noster Cerda conguessit, nomen accepit.

7 Unde illud Virgilii (s),

Et primùm pedibus talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, sive aquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.

Ovidii (t),

Constitit ante oculos ætus velocibus alis,
Atlantis Magni Pleionesque Nepos.

Et iterum (u),

Pacis & Armorum superis imisque Deorum
Arbiter, alato qui pede carpsit iter.

Plauti (x), (y),

Ego has habeo hic usque in petaso pinnulas.

Et Sidonii (z):

Nunc plantis, nunc fronte volat.

8 Solusque ipse Petasus apud Romanos, itinerantium, sive peregrinantium insigne fuit, ut Plautus (z), ubique addocet, qui peregre euntibus, ac venientibus petasum aptat, Cicero (a) in epistolis, qui describens Tabellarios iturientes, *Pegasos* vocat, petasatosque eos venire ait, & comites expectare: & Suetonius (b), qui ob hoc in Augusto quasi insolens notat, quod Solis etiam hyberni impatiens, domi quoque non nisi petasatus sub divo spaciaretur.

9 Idedque Cursores, qui equis publicis vehebantur, de quibus in Codice (c) agitur, ad Mercurii similitudinem, & quò velociorem sui muneris obligationem perciperent, pinnulatis etiam petasis ab Imperatore Ælio Verò donati fuerunt, & variis Ventarum nominibus appellati, ut ex Dione Cassio, Halicarnæso, Plutarcho, Spartiano, & aliis latè post plures alios, quorum alibi copiosam

Aaa

(e) Bobad. lib. 2. cap. 16. num. 14. Contzen lib. 9. pag. 117. cap. 9. per tot. Canonher. & alii, 1. tom. pag. 275. Petillus lib. 4. cap. 8. & 57. Timp. insp. Princ. sing. 12. Velazq. de epi. Princ. pag. 356. & seqq.

(f) Marq. in pub. Cbn. lib. 2. pag. 151.

(g) Saaved. Empr. 86. pag. 643.

(h) Sup. Embl. 12.

(i) Virg. 4. Æneid.

(k) Plin. in Paneg.

(l) Petr. Matth. in narrat. 2. part. pag. mibi 94.

(m) Joan. Ant. Velazq. ubi sup. pag. 359. rum. 4.

(n) Pined. in Salom. pag. 366. cum Ægid. Rom.

(o) Sup. Embl. 27.

(p) Paul. 2. Cor. 4. 20. & ad Ephes. 6. 20.

(q) Arnob. lib. 6.

(r) Arnob. sup. D. August. de Civ. Dei, Fulgent. Milur. Apul. & alii ap. Cerda, pag. 423.

(s) Virgil. 4. Æneid.

(t) Ovid. in epist. Parid.

(u) Idem 5. Easter.

(x) Plaut. in Prælog. Amphit.

(y) Sidon. in Paneg. ad Avit.

(z) Plaut. ubi sup.

(a) Cicero. in epist.

(b) Suet. in August.

(c) Tit. C. de curs. publicis.

mentionem feci (d), Dempsterus (e) observat, & Juvenalis (f) Commentatores in illud,

Anxia præcipiti, venisset epistola penna.

10 Indequè prophanasse, ut Christiani Episcopi petaso, ad Mercurialis similitudinem fabricatorum, & filaminatis borulis uti soleant, benè quidam ex nostris (g) animadvertit, quia cum Apostolorum, Gentiumque Pastorum, & Doctorum munus exerceant, in continua veluti peregrinatione esse debent, ideòque etiam, illis scapulis insigniuntur, quas *Mazetas* vocamus (h), quæ peregrinorum chlamydi, quæ *Esclavina* dicitur adaptatur, ut sic sui veluti præcipui muneris, quod in visitandis, seduloque divini verbi pabulo suis ovibus grescendis consistit, admoneantur.

11 Quod ut libentius, & attentius obeant, non possum non eisdem verba D. Gregorii Nazianzeni (i) ob oculos ponere, quæ etiam pariter ad nostri Emblematis thema valdè conducunt, ubi sic quemdam Episcopum excitat, qui locorum circuitu, & iterum laboribus, ab hoc munere per se explendo, deterrebat: *Locorum circuitu angeris, tibi que instabilis esse videris, quemadmodum signa, quæ aquis feruntur. Absit, vir excimie, absit, ut ita affectus sis: illorum enim cursus coactus est, tuus autem circuitus Deo gratus, & acceptus. Fixumque tibi ac stabile est, illorum enim cursus coactus est, loco minime fixus sis. Nisi verò quis Solem accuset, quia in orbem currit, radios fundens, atque omnibus rebus, quas obit, vitam afferens: aut etiam inerrantes stellas laudans, Planetas accuset, quorum error, ipse quoque compositus est, atque continuus.*

12 Porro, ut de Nostris loquamur Regibus, quamvis eis non nisi rarè, & ex magna causa suadendum sit, ut alienas, & longè positas Regiones invisant, ut benè ostendit & probat Doctissimus P. Joannes Antonius Velazquez (k) (ubi, quas expeditiones, & peregrinationes D. Noster Imper. Carolus V. extra Hispaniam fecit, enumerat) intra suas verò, interdum sui copiam facere debere, idque multum convenire, negari non potest, cum Apollonius Tyaneus ad Philostratum (l) in ea opinione fuerit, quòd *Dii non semper in eodem loco permanerent, sed tunc ad Æthiopes, nunc ad Olympum, nunc ad Arbum proficiscerentur, & universas gentes perambulando transirent, atque lustrarent.*

13 Et vel in Sacra Pagina (m) studium, quod in hoc posuit Josaphat Rex, valdè laudatur, per se ipsum Regna sua perlustrando, omnesque sibi subditos ad pietatem instruendo, constitutus per singula loca integerrimis iudicibus, qui nihil magis, quàm justitiam colerent. Et similiter in Josepho (n), dum Pharaonis in Ægypto vices gerebat, de quo idem Sacer Textus (o) enarrat, quòd egressus ad terram Ægypti, omnes ejus regiones circuevit, & officiosè, quæ illis esse duxit opportuna, providit.

14 Et in hoc respicere quidam Neothericus (p) putat, Dei jussum ad Abrahamum: *Surge, & perambula terram in longitudine, & in latitudine sua; quasi multum referret, ut terram nosceret, quam ei Dominus fruendum possidendamque donabat.*

15 Quod in Romanis Principibus, veluti pro præcepto præscripsit Tacitus (q), inquiens: *Principibus adenda sapius longinqua Imperii; & hanc curam in Germanico valdè commendans. Prout & in Hadriano Dio Cassius (r); & in Trajano Plinius Junior (s), quem supra retulimus, qui bonos effectus hujus visitationis, his verbis exposuit: O veri Principis, atque etiam Consulibus; reconciliare amulas civitates, tumentesque populos non Imperio magis quàm ratione compescere, intercedere iniquitatibus Magistratum, infectumque reddere, quidquid fieri non oportuerit. Postremo velocissimi syderis more, omnia invisere; omnia audire, & undecumque invocatum statim, veluti Numen adesse, & assistere.*

16 Virgilius (t) quoque Augustum Cæsarem laudat, quòd etiam,

*Dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello: victorque volentes
Per populos dat jura: viamque affectat Olympo.*

17 Et Suetonius (u), Tiberium à populo notatum inquit, & Proverbio Græco (x) *Callipidem* vocatum, quòd hanc curam deserens, post adeptum Imperium extra Romam, aut loca Romæ valdè propinqua, pedem porta non extulit, quamvis provincias quoque, & exercitus re-

(d) Ego 2. tom. lib. 1. cap. 12. ex num. 16. ad 31.
(e) Dempster. ad Rosin. lib. 7. cap. ult.
(f) Juven. satyr. 4.
(g) Horos. Covarr. lib. 1. Embl. fol. 27.
(h) Vide D. Sebart. Covarr. verb. *Mazetas*.
(i) Nazianz. epist. 34. vide similem locum D. Bernard. in serm. de trib. ord. apud Velazq. ubi sup. pag. 361. & Tridentin. sess. 24. cap. 3. de reform. & Me ipsum, 2. tom. lib. 3. cap. 13.
(k) Velazq. sup. pag. 357.
(l) Philostr. in vita Apol. lib. 4. cap. 13. in fine.

(m) Parallip. 19. 4.
(n) Joseph. lib. 9. ant. cap. 1.
(o) Genes. 41. 46. Philo in lib. de Joseph.
(p) Episc. Villarr. in lib. Judic. pag. 351. num. 6. Genes. 23. 17.
(q) Tacit. 3. Annal.
(r) Dio in Hadrian. & Spartian.
(s) Plin. Jun. in Paneg.
(t) Virg. 4. Georg. in fine.
(u) Suet. in Tib. cap. 38.
(x) Erasmi. in hoc Adag. pag. 68a.

visurum se sæpè pronuntiasset, & propè quot annis profecionem præpararet, vehiculis comprehensis, conmeatibus per municipia, & colonias dispositis. In quo sequutus videtur Collumellæ (y) Consilium, dum monuit, ut Dominus, si possit, agrum suum exerceat, & inspicat. *Et frequentius se venturum, quàm sit venturus denuntiet, sub hoc enim metu villicus cum familia erit in officio.*

18 Persarum quoque Regibus solemne olim fuisse obire ditionem universam, eamque lustrare veterum instituto, & exquirere, quid opem Regiam desideraret, ex Herodoto Franciscus Patrius (z) recenset, & Plato (a), id etiam fecisse Minoem Cretensium Regem scribit, opera Rhadamanti, & Taloenis, & quidem in anno ter, deferendo pagatim areas legum tabulas, ut ita custodia earum omnes populi, & Magistratus intenderent.

19 Extat quoque in hanc rem præclarum Synesii (b) monitum ad Imperatorem Arcadium, quo docet, qualiter in perlustrandis exercitiis, & civitatibus, vicissim sui copiam Princeps facere debeat, & Basilii Imperatoris (c) ad Leonem filium, tradentis, in magna perniciem labi, quæ non inspecta, neglectim à Principibus prætereuntur. Et Cassiodorus (d), sub Athalarici Regis persona rectissimè inquit, Republicam non esse unius civitatis curam, sed totius Regni provisam custodiam, indeque sic statim subinfert: *Quapropter, qui Reipubl. statum, & generale cupit stare fastigium, ad universa debet esse sollicitus, quia non est salus in corpore, nisi quam & membra poterint obtinere; minus enim habere necesse est, cui aliquid perit. Et ideò diversarum civitatum pervigil nos cura sollicitat, ne permissa longius mala, nostra possint gravare Palatia.*

20 Symmachus (e) quoque non minùs apertè & eleganter idem ostendit, dum dixit: *Interest enim serenissimorum temporum glorie, ut sicut omnibus in hac vita positus, ac locatis, communis est celi spiritus, lux diei: ita clementiam maximi nostri Principis sentiant & vota, & fata cunctiorum.*

21 Et omissis aliis, prudenter eandem sententiam premit Petrus Matthæus (f) qui postquam Solis comparisonem adducens, hanc suarum Regionum sollicitam lustrationem Principibus commendavit, sic concludit: *E malè à un popolo, quando il suo Rè non parte da un luogo, che non getta gli occhi se non sopra à quello che hà d in torno, remettendo à Principe è governatore il pensiero delle altre Provincie: Debbono alcuna volta visitar le parte piu lontane del loro Imperio, & far conoscere per la cura che hanno del loro gregge, che sono vera mente Pastori de popoli.*

22 A quibus non absunt Hispaniæ nostræ legum (g) monita, & Regum exempla. Nam de Rege Ferdinando III. scribit Mariana (h), vix dum nuptiis contractis, lustrandi Regni studio novam nuptam per præcipuas Legionis & Castellæ urbes circumduxisse. Et ultra frequentes provinciarum visitationes, quæ in multis ex dictis legibus à supremis eorum Rectoribus, quos *Adelantados* vocant, & ab aliis inferioribus Ministris fieri jubentur, de quibus noster Bobadilla (i), & alii (k), plura scripserunt, tres earum rationes his verbis tradentes: *Otrosi debe andar por la tierra por tres razones. La primera, por escarmentar los malhechores. La segunda, por hacer alcanzar derecho à los omes. La tercera, para apercebir al Rei del estado de la tierra. Ipsi quoque met Reges hanc utilitatem, & necessitatem recognoscentes, se ipsos huic oneri obligare, ac subdere voluerunt, peculiari lege ab Alphonso hujus nominis XI. Eia 1367. lata, posteaque à suis successoribus renovata (l), quæ sic habet, *Corviene al Rei, que ande por todas sus tierras, i señorios, usando de justicia, i aquella administrando, i que anden con el el Consejo, i Alcaldes, i los otros Oficiales con la menos gente que pudieren, para saber el estado de los hechos de las Ciudades, i Villas, i Lugares, i para punir, i castigar los delinquentes, i malhechores, i procurar como el Reino viva en paz, i sosiego.**

23 Et quia in hoc munere exequendo olim valdè frequentes esse solebant, secumque dictos Consiliarios, & Alcaldes portabant, ortum fuisse arbitror, ut hi *Alcaldes del Rastro* dicerentur, id est, de Regis itinerantis comitatu, sive sequela, licèt D. Sebastianus à Covarrubias (m) aliam hujus vocis etymologiam comminiscatur.

24 Eademque de causa Reges Antiqui, fixam in aliqua urbe curiam, & habitationem habere non solebant, ut benè noster Saavedra (n) considerat, sed per Regnum, ut res poposcerat

Aaa 2

fere-

(y) Collumell. de re rust. lib. 2.

(z) Patric. de Republ. lib. 5. cap. 5.

(a) Plato in Alinoe.

(b) Synes. in orat. de Regn.

(c) Basil. Imp. in monit. ad filium.

(d) Cassiod. lib. 9. epist. 2.

(e) Symmach. lib. 9. epist. 1.

(f) Petr. Matth. in narrat. 2. pag. mibi 97.

(g) L. 22. tit. 9. part. 2. leg. 5. & ult. tit. 6. lib. 3. Re-

cop. cum aliis, desumptis ex Aush. de collator. §. jubemus.

(h) Marian. lib. 13. cap. 1.

(i) Bobad. lib. 2. cap. 16. num. 14. & lib. 5. cap. 9.

& 10.

(k) Aviles in cap. 6. Prefat. verb. *Visitat*. Ego 2. tom. lib. 4. cap. 8. num. 1. & seqq. & cap. 10. ex num. 29. Salced. ad leg. Recop. ex pag. 166. vide etiam Altamir. in integr. tract. de visit.

(l) L. 3. tit. 1. lib. 2. Ordin. que est hodie l. 5. tit. 2.

lib. 2. Recop.

(m) Covarr. in Thesaur. ling. Hispan. verb. *Rastro*.

(n) Saaved. ubi sup. pag. 643.

ferabantur, interdumque, cum exiguo comitatu, in vindictam aliquorum criminum personaliter prosiliebant, ut de Rege Alphonso VII. in Gallecum Infancionem, & Ferdinando Catholico in Monleonensem Regulum procedente, & aliis similibus, post Marianam idem Saavedra (o) commemorat. Ejusdemque Catholici Regis Conjux Elisabetha, suum peragrans Regnum, Mariana, & eodem Saavedra (p) testante, plures paucis diebus Hispali lites decidit, vel abscedit, quam multis retrò annis Magistratus ab ipsa positi diremissent.

25 Et herclè, ultra prædictas rationes, quæ hanc in Regibus functionem suadent, vel illa sola eos movere posset, quæ ex ingenti gaudio, & alacritate deducitur, qua Regni urbes & Populi afficiuntur, ubi suorum se Principum aspectu refoveri cognoscunt. Unde de Augusto Cæsari scripsit Paterculus, (q) Quòd orbi terrarum, præsentia suæ bona circumferebat. De Nerone Tacitus (r), quòd egressum ejus ex urbe omnium gentium ordines agrè ferrent, Sueti adversus fortuita aspectu Principis refoveri. De Juliano Marcellinus (s), quòd Populus communiun remedium ærummarum in ejus locabat adventu, salutarem quemdam genium adfuisse conclamans, nec sequius arbitrata. Et de Marco Antonio Philosopho, & Vero Imperatoribus, Capitolinus (t), quòd gravissimam Tiberis inundationem, famemque inde ortam, Sua cura & præsentia temperarunt.

26 Certè enim, ut

Principis est virtus maxima nosse suos.

Ita, ut Cassiodorus (u) inquit: Minus est, videre Principem; cujus oculi lætitia, & commodis pluribus Populum afficiunt, & præsentia magno civibus constat, vel ad cohibendos effrenes seditiosorum impetus, vel retundendos, ubi nati sint, ut benè Alexander Cassaneus (x) animadvertit, hæc carmina allegans,

Ut conturbati placidum caput extulit undis
Neptunus, totumque videt, totoque videtur
Regnator ponto, sævifera marmura venti
Demittunt, nullasque movent in frontibus alas.

27 Et ubi Rex sibi subditorum amorem, atque ardorem promeruit, eo in publicum procedente, aut in aliquam urbem intrante, ut gravissimè Seneca (y) dixit: Non tanquam malum, & noxium animal è cubili prosilierit, diffugiunt; sed tanquam ad clarum, & beneficium sidus certatim advolant, obijcere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam, iter ad salutem sternendum sit.

28 Quod quidem satis ostendit Roma, ubi primùm Trajanum exceperit, cujus singularem lætitiã his elegantissimis verbis ejus Panegyristes expressit: Ergo non atas quemquam, non valetudo, non sexus retardavit, quominus oculos insolito spectaculo impleret. Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes. Egri quoque, neglecto medentium imperio, ad conspectum tui, quasi ad salutem sanitatemque prorepere. Inde alii se satis vixisse te viso, te recepto; alii, nunc magis esse vivendum prædicabant. Fæminas etiam tunc fecunditatis suæ maxima voluptas subiit, cum cernerent, cui Principi cives, cui Imperatori milites peperissent. Videres referta tecta, ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non nisi suspensum, & instabile vestigium caperet; oppletas undique vias, angustumque tranvitem relictum tibi; alacrem hinc atque inde populum, ubique par gaudium, paremque clamorem. Tam æquabilis ab omnibus ex adventu tuo lætitiã percepta est, quam omnibus venisti: quæ tamen ipsa cum ingressu tuo crevit, ac propè in singulos gradus adauclta est, &c.

29 Hactenus Plinius, quem æmulatus Mamertinus Diocletiani, & Maximiani ingressum in Mediolanensem urbem describens, pariter sic effatur: Ut verò limine egressi, per median urbem simul vehebamini, tecta ipsa se (ut audio) penè commoverunt, omnibus viris, fœminis, parvulis, senibus, aut perfores in publicum proruentibus, aut per superiora ædium lumina imminentibus. Clamare omnes præ gaudio tam sine metu vestri, & palam manu demonstrare, vides Diocletianum, Maximianumque? Vides? Ambò sunt, pariter sunt. Quàm juncti sedent? quàm concorditer colloquuntur? quàm citò transeunt. Nemo studio suo par fuit oculis ad intuentum, dumque vos alterna cupiditate mirantur, neutrum satis videre potuerunt, &c.

30 Quibus alludit illud, quod sub Theodorici Regis persona Cassiodorus ad Gothos per Picenum, & Samium constitutos, scripsit: Quavis munificentia nostra sit hominibus ubique gra-

(o) Idem Empr. 22. pag. 146. § 147.
(p) Idem ex Marian. pag. 142. Empr. 21.
(q) Paterc. hist. Aug. 1. tom. pag. 30.
(r) Tacit. 15. Annal. cap. 36.
(s) Marcel. lib. 15.

(t) Capit. in Marc. & Vero.
(u) Cassiod. lib. 10. epist. 13.
(x) Alex. Cassan. in Asiom. polit. cap. 10. pag. 70.
(y) Senec. de Clement. lib. 1. cap. 3.

gratissima, multo tamen acceptiora credimus, quæ nostri præsentia conferuntur. Quia majora de conspectu Principis Populi sentiunt, quam de largitate beneficia consequuntur. Nam penè similis est mortuo, qui à suo Dominante nescitur: nec sub aliquo honore vivit, quem Regis sui notitia non defendit.

31 Quæ loca imitari volens Præstantissimus D. D. Laurentius Ramirez de Prado, Regius Senator dignissimus, & non minus de bonis literis, quam de bonis omnibus benemeritus, in inscriptione, quam fecit, ex cura sibi mandata, pro scelicissimo, & Augustissimo Augustissimæ D. D. Marianæ Austriacæ Hispaniarum Reginae, in hæc suam Madridensem Urbem, ac curiam ingressu xv. die mensis Novembris anno M.DC.XLIX. qua quidem nullam gratiorem, augustiorem, & splendidiorem nullam usquam illuxisse, omnes, qui ea frui, bearique potuimus, contestamur, inter alia sic habet, Tectis refertis, ac instabili vestigio laborantibus. Aliis satis se vixisse prædicantibus, aliis magis nunc esse vivendum.

32 Sed opus non est, ut ad hanc hilaritatem comprobendam, quam Populi ex suorum Principum conspectu recipiunt, ad Panegyrica recurramus, cum extet expressa Imperatorum Gratiani, Valentiniani, & Theodosii constitutio (z), qua docent, eosdem populos inhiantes, Imperatorum vultus excipere solitos, in illis verbis: Si sacros vultus inhiantibus fortè populis inferimus; & adventus eorum, publicæque lætitiæ nunciatoribus, magna dona conferre, quæ ibi limitanda sanxerunt. Per Sacros enim vultus, ut in eodem textu Doctores communiter norant, ingressus Principum in aliquam sui Imperii urbem significatur. Et in hunc sensum illum accepit, magnoque cum audientium plausu explicavit, & illustravit in Salmanticensi Academia insignis ille in eadem juris civilis Primarius. Et Coriphæus D. D. Gabriel Henriquez, mihi semper colendus, ac venerandus Præceptor, dum Pius pariter, ac gloriosus Dominus, ac Dominus Noster Rex Philippus III. anno M.DC.IV. illam gaudentem inviseret, & simul Salmanticensem, urbem, ut & alias sui Regni, una cum Lermensium Duce, & aliis Regni Proceribus perlustraret. Sumpatque hinc occasione, hujus quæstionis, de qua nunc agimus, disputandæ, ansam arripuit.

33 Et licèt non ignorem, Cujacium, & alios, magis frequenter, Textum illum, non de ipsorum Principum adventu, explicare solere, sed de imaginibus eorundem, in Numismatibus, vel alio modo, effigiatis, quas ad populos mittere consueverant, & ab eisdem, ut Nizæna Synodus (a), & alia jura (b) indicant, magna cum lætitiã, cereis, & incensis excipiebantur; hoc tamen nihil nostræ intentioni repugnat, quin potius eam vehementius juvat, atque corroborat. Nam si tali tantæque lætitiã Populi in solis imaginibus Principum excipiendis afficiebantur, satis apparet, quanto majori gaudio perfunderentur, ubi ipsi se personaliter conspiciendos præstabant, & exhibebant.

34 Quos, præeunte etiam Clero, & signo Crucis recipi solitos, Guntherus (c), ultra alios, ostendit, agens de Frider. I. Imper. in Papiam ingressu, & sic inquires:

Menia victor adit: non est tractabile sensu,
Eloquio meo, quæ gaudia, quantus ab urbe
Occursus Populi, quo scilicet ordine castus
Antistes, lætusque suo cum Præsule Clerus,
Vestibus ornatu nitidis, pretiosa ferentes
Signa Crucis, textusque sacros, thurisvè vaporem
Proderint, &c.

Qui etiam mos in nostra invaluit Hispania, quousque à Rege Joanne I. in quadam lege (d) sublatu fuit, quæ hodie in Nova compilatione habetur, in qua plura congressi.



(z) L. unica, C. publicæ lætitiæ, lib. 1. § 1.
(a) Synod. Nyzen. cap. 2.
(b) Vide. l. final. C. de vet. nu. potest. & Pancirol. in

notit. cap. 24.
(c) Gunth. in Ligur. lib. 3.
(d) L. 7. tit. 1. Recop.